



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum Societatis Iesv instituit**

**Ribadeneyra, Pedro de  
Coloniæ Agrippinæ, 1602**

De commiseratione. VIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45323**

se dabat operam, vt qui in culpa esset, culpam agnosceret: eamque non verbis, sed rerum pōdere exaggerabat. Tū vt pœnæ modū ipse sibi statueret, qui deliquerat: de qua tamen pœna, si grauis videretur, multum detrahebat Ignatius: ita fiebat, vt integra beneuolētia, nihil tamen esset impunitum. Et certē admiratione dignum est, quod in hac parte & vidimus & obseruauimus, vt in tanta hominum multitudine, nemo ferē ab Ignatio aut verbis castigatus, aut pœnitentia aliqua grauiore affectus indignaretur: nemo in obiurgatione, ira, vel aliqua perturbatione incitaretur, sed in seipsum exardesceret, quod deliquisset.

Se ab errore reuocantes, æquē complectebatur ac suscipiebat, ac si nihil deliquissent: vt presenti beneuolentia, illorum minueret verecundiam, & omnem errati memoriam sempiterna obliuione deleret: nec vulneribus modo, sed cicatricibus etiam mederetur.

#### DE COMMISERATIONE.

#### CAPVT VIII.

**A**D eādem benignitatem pertinet sympathia illa, & misericordia, quam

quam ex morbis suorum capiebat. Nā in eos præcipuè, qui valetudinis imbecillitate tentarentur, aut grauius ægroarent, eximia erat illius & charitas, & sollicitudo. Itaque iubebat, statim vs aliquis in morbum incidisset, ad se referri: obsonatorem domus bis quotidie sibi renunciare, num præfecto infirmorum emisset, quæ ad illorum ipse vsus postulasset. Quòd si pecunia ad sumptus non suppeteret, stanneas lances, vel quadras perpaucas, quæ in domestica suppellectile fortè reperiabantur, vendi primùm, deinde lectorum stragula distrahi iubebat. Et cum præclaros adolescentes summa ingenij spe, doctrinæque præditos, aut laborum magnitudine debilitatos, aut etiam extinctos in ipso Societatis nostræ exordio animaduerneret (quod spiritus quodam impetu longius nostri progredierentur, quā moderationis & diurnitatis ratio patiebatur) domum in remoto loco Romæ exædificandam curauit: in qua, qui literarum studijs inuigilarent, interdum laxarent animū, & aliquid de summa illa studendi, meditandique contentione remitterent. Sed cum inopia pecuniæ obstaret, nonnullique id dicerent, viuendi tum

quidem tempus esse, non laboriose ædificandi: nunquam de sententia deduci Ignatius potuit, pluris sibi esse dicēs quam omnes thesauros, cuiusvis fratris salutem. Illudque addebat, Cū homo ægrotat, rarò aliquid boni potest in aliorum vtilitatem facere: quando verò sanus est, potest multa bona facere.

Cū grauissimè ipse langueret, & ad illum subleuandum, Patrum, qui Romæ tum quidem eramus, precib. temporarium Vicarium admittere cogere: omnibus, quæ domesticus Minister ad se referri ex præscripta sui officij regula deberet, in Vicarium reiectis: illa tamen excepit, quæ ad curam, salutemque eorum qui ægra essent vultudine, pertinerent. Hæc enim ad se tū etiam referri volebat.

Patrem Iacobū Lainem cum Ignatie iter vnà facientem, acerbissimus quidā dolor inuasit, quem vt leuaret & mitigaret Ignatius, quem vnicum ex cleēmosyna denariū acceperat, eo equum conduxit: in eum Lainem paliolo suo tenui attritoque inuolutum, imposuit: & vt magis hominem animaret, ipse, tanquam Helias alter, tanta animi alacritate, atque pedum velocitate

tate antecedebat, vt Laines p̄uentem illum equo vix conſequi poſſet.

Dicam quod egrotanti mihi accidit. Cū de nocte languis mihi ex brachio eſſet miſſus, cuſtodesque, qui excubias agerent, Ignatius appoſuiſſet, reliqui quieti ſe dediſſent, ad multam noctem, alijs dormientibus, bonus ſollicitusque pater vigilabat. Bis t̄ve miſit, qui brachium exploraret, circumligatum ne eſſet commodè: ne forte, ſoluta vena, ſanguis eſſlueret, & ſubitum (quod nonnullis euenit) interitum adferret.

Mirabili Dei prouidentia factum eſſe dicebat, vt tot ipſe morbis eſſet obnoxius, vt ex ſuis doloribus aliorum dolores æſtimare diſceret.

Et hoc quidem miſericordiæ erat, & benignitatis. Illud tamen ſeueritatis, quod ægros volebat omnem ſui curam deponere; dicto audientes eſſe; patientes, tractabiles, minimè querulos, aut moroſos; cælū ad arbitrium ſuum non mutantem, neque ea de re med cū conſulentes: denique qui ſcirent, ſe ſuperioribus ſuis curæ eſſe, & nihil minus ſibi, quam de ſe, curandum. Qui ſecus facerent, in eos vbi conualuiſſent, grauiter animaduerteſcit. Si quem

verò cerneret difficili, immoderatoq;  
 ingenio, & propter contumaciam car-  
 nis, robustamque naturam, minus se  
 ad spiritus, mortificationisque legem  
 accommodantem: illum verò, vt spiri-  
 tus saluus fieret, facillè patiebatur su-  
 prà vires etiam aliquando laborare: &  
 si in morbum incidisset, haud ita gra-  
 uatè ferebat, adhibebatque eum medi-  
 cinæ modum, quem & paternæ chari-  
 tatis ratio, & illius spiritualis salutis po-  
 scebat.

DE MAGNITVDINE ANIMI.

CAPVT IX.

**C**onstantiam Ignatii, fortitudinè,  
 magnitudinemque animi multa  
 declarant.

Cum morbo sæpe tentaretur, & dolo-  
 ribus torqueretur, nullum vnquam ge-  
 mitū edidit, nullū afflicti animi signū:  
 sed placidè, vt remedia adhiberentur,  
 admonebat: tulitque triduo aliquando  
 sedatissimè dentiū dolorē grauissimū,  
 neq; vllam tamen doloris significatio-  
 nem dedit. Aliàs item, ad morbū, quo  
 laborabat, curandum, quidam ex no-  
 stris lineum panniculum ceruicibus I-  
 gnatii